2

ORATIO CAROLI II. HISPANIARUM REGIS ET MARI-ANNAE REGINAE MATRIS NOMINE AD CLEMENTEM X. PONT. OPT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Habita Romæ, IV. Kalendas Februarij. 1671.

AB ANTONIO AGRAZ DE SPVIG I.C.

Marchione Vniæ, Placæ Abbate, & Summi Pontificis a cubiculo:

Legato ad obedientiam præſtandam

Excellentiſſimo Domino

PETRO DE ARAGON

Segorbicæ, ac Cardonæ Duce, Regni Neapolitani Prorege &c.

ROMAE,
Ex Typis Dragondellianis. M.DC.LXXI.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

ORATIO
AD SS. DOMINVM NOSTRVM
CLEMENTEM X.
PONT. OPT. MAX.

SI quis adeò animorum plenus eſt, B.P. vt è cathedra apud Principem, qui mortalitatem quodammodo excedat, ſe nullo numinis terrore oraturum profiteatur; is mihi, & ſi doctus forſitan, perſuadere nequaquam poterit, quin Icaria pectoris cõfidentia inconſultisſimus vtatur.

Scio eruditorum ingenia ex meo ſatis humili, tenuique non modò errare ſi metiar, ſed naturæ iniurium eſſe ſi credam. At hoc etiam ſcio hos virtute, atque audacia inflatos, ſublimiaque minantes, non applaudi, ſed explodi quandoque, Nemeſi gaudente, promeruiſſe. Secùs alij, quorum & ſi imbecillior animus obiectu ſuperioris atteritur, reuerentior tamen, hoc ſibi planisſime pollicetur, non minorem ex lapſu gloriam, quám ex affatu, licet ſplendido, rotundoque conſecuturum. Non hæc temerè, aut incogitatò, ſed mihi metuens, prouidenſque. Siquidem ſi quis vnius plerumque territus Maieſtate ita ſpiritu defecit, vt aphonus redderetur, cur ego, quem non modò Beatitudinis Veſtrę diuinitas metu concutit, ſed Regis omnium Maximi, cuius animi ſenſus pro dignitate dictis aſſequi priuatæ conditionis homini fati imparitas non concedit, magnitudo quoque deterret, vt iuſtiùs labi ſubtimeo, ſic veniam geminę debitam religioni non anteuertam!

Et ſanè ſi quæ Beatitudinis Veſtræ in Pontificatum euectionem præceſſere, quæ comitata, quæque tandem ſubſecuta ſunt, ſuis ſingula momentis expendamus, nulla mihi periodus excidet, quæ miraculo non turgeſcat. Quandoquidem ita ani-

mi

mi tui ſublimitas, ita virtus, ita benignitas, indiſſociabiles,perenneſque illuſtrium natalium comites, innotuerant, vt ſummam totius Chriſtianorum Orbis dignitatem, nullus eſſet, qui tibi non præſaſagiret animo,qui votis non exoptaret. Magna hęc fateor, ſed maiora adhuc, ſi poſſumus, euoluenda ſunt. Incubuerat Clementi IX pro dolor! vltima rerum neceſſitas, eoque impetu, ac truculentia incubuerat, vt ſub ipſo ęgritudinis initio, fini,cunctis mortalium debito,proximus acceſſerit, imperterritus tamen, inconcuſſuſque. Quid enim qui ſe Deo totum addixerat,totumque Deum, pro meritis,ac miniſterij ſublimitate, ſpiritu atque animo induerat,expaueſceret, formidaret? Hinc,peractis ſumma cum religione ſacris, ſic malo iterum ingruente defecit, vt oppreſſos morbi magnitudine ſpiritus in vocem ampliùs efformare non poſſe crederetur. Verumenimuero cum adhuc in ſacratiſſimo Purpuratorũ cœtu is deeſſet, cui tergemina, poſt illius obitum,infula debebatur, ecce mirum! qui iam moriturus pene cæli viam ingreſſus fuerat, Deo ſic iubente, aut remoratur,aut regreditur. Quapropter,refectis ex improuiſo viribus, ſeu potiús earum vicem ſupplente numine, conuocatis ad ſe Cardinalibus, poſt mortem, quam precaria

vita dimouerat, conſtantiſſime pronunciatam, poſt cœleſtes jiſdem relictas admonitiones, ac demum poſt petitam, & ſi nunquam Pontificio defuerit, veniam, numerum Senatus, nulla conſanguinitatis habita ratione, adimpleuit, Te, inter reliquos, ipſa gaudente purpura, in collegium aſcito; Quo vix in Vrbem diffuſo, ab vniuerſis iterum præſagiente plauſu futurus, proximuſque Pontifex pronunciaris. Num ſatis dictum? Fallitur ſi quis ita credit. Siquidem translato in cœlum Clemente, & conuocatis tandem ad ſucceſſorem eligendum comitiis; dum Patres adhuc pendent, Aureque immortalis ſpiramina deprecantur, ecce tibi, vox vno eodemque tempore, vniuerſa Vrbis fora, templa, compita, omneſque priuatorum domus implere, lętiſque vbique clamoribus excipi, ſeptenaque montium Echo replicari, diuinam Pontificatus ſortem in Alterium cecidiſſe. Euanuit tandem, mœrente populo, rumor ille, ſed populi ſpes non euanuit, quin imo, hoc cœli prægeſtientis ſymbolo, viſoque pluries inter diem ſidere, tuos primùm ſuper lares emicante, mox inde ad Vaticanum, veluti futuri nuncio, progrediente, ita cunctorum præſagia firmata ſunt, vt comitiorum moras propemodum increparent; ignari omnia ſtatis ab æterno temporibus

ribus in hanc mundi ſcenam produci, & ſublimibus euentis numen ſignis præludere, magnum aliquid mox venturum annunciantibus. At neſcit Spiritus tarditatis molimina. Non inficior; verùm, cum tantum Eccleſiæ Pontificem, vt ita dixerim, progeniturus eſſet, eniti quodammodo, ac laborare, vt partus magnitudinem oſtenderet, ſe videri decorum duxit.

Hoc igitur cœlum moliebatur; ſed cum maxime res in ambiguo eſſet, repentina tandem, peneque viſibilis ſancti Flaminis in Purpuratorum pectoribus illapſio id effecit, vt vna vndique, eademque voce vniuerſi Alterium, iterum atque iterum Alterium proclamarent. Sed ó inclita & prodigio ſimilis genij tui moderatio! Extimuit virtus illa, quę clementiæ comes, & Πάρεδρος eſt, eligentium plauſus, & inopinis acclamationibus aut exterrita, aut indignata, oblatum geminæ clauis miniſterium ita pluries, & obſtinato in modeſtiam animo detractauit, vt precibus, monitis, & totius (quid vera diſſimulē?) Senatus increpationibus, vix denique ſe victam dederit, ceſſeritque. At hoc etiam, nec ſine numine, factum eſt; Nam cum ideo ſummus rerum conditor Te in hunc apicem extollere decreuiſſet, vt ſucceſſoribus in exemplar præniteres, id

 inſuper

inſuper tuo mortales obluctamine edocere voluit, ne ſacratiora diuinæ Prouidentiæ placita votis (quanto minus ambitione?) præoccuparent.

Quid mirum igitur, ſi denunciata demum Beatitudinis Veſtræ ad ſolium Mundanorum Maximum, cœleſtique proximum exaltatione, lætitia fluminis inſtar, aggerum fines indignantis, eo impetu eruperit, vt Vrbem primo, & citatis vbique tabellarijs Orbẽ poſtea inundarit? ſi populos, ſi Dynaſtas, ſi Reges, ſi cũctos denique veræ, æternæque Religionis cultores non modò ad Deo grates reddendas impulerit, ſed etiam eo ſpiritu afflarit, vt ſeculo felicitatem, Eccleſiæ ſplendorem, & fidei incrementum annunciarint?

Verùm ſi quis a me quærat vbi terrarum hoc gaudium magis increbuerit, haud verear illic ſeſe fere totum effudiſſe palam aſſerere, vbi purior Chriſti religio, vbi pro eadem mori promptiores animi, vbi inſigniora Dei beneficia, vbi denique Regum pronior in hanc ſedem pietas eniteſcunt. Agnoſcit iam Sanctitas Veſtra, quæ Regna, quiue Principas his Chariſmatis deſignantur; nec agnoſcit modò, ſed intaminata quacumque heterodoxiæ labe Hiſpaniarum altaria, ſed fortiſſimæ nationis ſanguinem vbique locorum, pro Religione diffuſum;

fuſum;

fuſum, ſed nouos huic Monarchiæ (vt cætera diuinitus illic facta ſilentio prætercam) detectos terrarum Orbes, ſed ingenitum gentis Auſtriacæ in Chriſti Vicarios obſequium animo reuoluit, atque gaudijs omnibus exilit, inceſſitque. Sed euge, Pater ſanctiſſime, & vberiori, quam Prędeceſſores tui, & ſi maximam quiſque ex incomparabili hoc Heorum genere perceperit, lætitia perfundere. Siquidem indiſſolubilis virtutum omnium chorus in CAROLO II. huius nominis Rege, religioni, ac tibi ſic adoleſcit, vt quod Chriſto prædicente credimus vnum aliquando ouile, vnumque Paſtorē in terris fore, hoc, te auctore, illoque adminiſtro, futurum, iure ac meritó ſperatur. Et quid ni? cum alteri admirabili quodam modo Pontificatus obtigerit, alterum miraculo genitum duplex Orbis adueneretur?

O quæ poſſem de tenelli huius Principis indole, in quam excelſa cunctorum Regum ſemina, qui a prima regnorum inſtitutione ad hæc vſque tempora in Europa, alijſque mundi partibus floruere, perinde ac flumina in Oceanum confluxerunt, in medium proferre! Verúm, & ſi plurimum origini, & Patri verè magno, debeat; ſublimis tamen genij complementum genitrix abſoluit. Nec mirum; ea

eſt

eſt, quam ſi noſtri ſeculi gloriam, ſupremum ſui ſexus ornamentum, Reginarum ſidus quis dixerit, infra meritum laudes erunt. At quod potiſſimúm Achillis ſui animo Thetis hæc Auſtriaca ab ipſis vſque incunabulis, maiori lumine exornandum ſuſcepit, pietas eſt, haud inſcia virtutem hanc inter reliquas, quæ ſideribus comparantur, ſolis vicem præſeferre. Plura & auditu ſuauiſſima de Religione tanti Pueri documenta recenſerem, ſed ex vno, quod infra orbitam orationem euagandi cupidam ſua retinet magnitudine, cætera ediſcantur, quód nempe vix nuncio accepto, vix literis quas Antonius Aluarez Oſorio Aſturicæ Veladęque Marchio, regius hic Orator, (pluribus maiorum titulis, pluribuſque muneribus illuſtris, ſed vtriuſque celſior) de Sacro-Sancta tuo vertici Tiara diuinitùs impoſita exultanti calamo ſcripſerat, auidè tranſcurſis, vix Deo gratibus priuatim, publiceque redditis, in id totus incubuit, vt Petrus Aragonius Segorbicæ & Cardonæ Dux, quem auorum nomina in cęlum euehunt, proprięque dotes in ſublimis, ingentiſque virtutis exemplum poſteris tranſmittent, è proximo Apuliæ regno ad Beatitudinis Veſtræ, legatione cunctis, quas vn-

quam

quam Hiſpania, emiſerit, inſtructiore, adorationem accederet. Hinc ipſe ſic omnia maturè feſtinauit, ſic temporis anguſtiã Regia prodigalitate ſuppleuit, eoque Procerum comitatu, eaque pompa paucos ante dies Romam, & nunc demum ſacram hanc Aulam ingreſſus eſt, vt capitolinas arces, quò antiquitùs triũphi ducebantur, recens Quirinalis gloria inuidia maxima pulſarit. Quamobrem, vt pręcipua ſibi iuſſa exequatur, ante Sanctãtis Tuæ thronum, cunctis mortalibus verendum in genua delapſus, CAROLI. II. & MARI-ANNAE Reginæ Matris nomine, terreſtres maritimaſque copias, atque, vno verbo, vtriuſque Orbis opes, diuitiaſque, ſceptra, ac diademata, geminum complexa Hemiſphærium, tuis nutibus libentiſſime ſubmittit; nec tantum iſta, ſed ipſius etiam Regis filiale obſequium, qui cum ætas fuerit, CLEMENS q; X. in Turcas Chriſtianorum arma expedierit, ſubacti totius Orientis ſpolia CLEMENTI X. Deo auſpice, pollicetur. Non incaſſa loquimur, nec effectu caritura. Admiranda, quæ retulimus, hęc pręſagia demerentur. Fallitur qui cœleſtium beneficiorum immanitatẽ ſecús interpretatur. Sed quid maxima, ęternaque humili, indignoque adhuc

adhuc eloquo improbi attenuamus ? Diuinitatis opera, quæ ſtuporis magnitudine ſpiritus loquentis abſorbent , ſilentio magis , quám plauſibus, cultu, quám orationę a mortalibus adorantur .

DICEBAM

MARII

Digitized by Google

MARII SPINVLAE

SANTISSIMI DOMINI A SECRETIS AD PRINCIPES, Summi Pontificis nomine reſponſio.

EXVLTAT in Apoſtolica ſtatione voluptatis intima perfuſa dulcedine Pontificia charitas, præcipuum vbi Orthodoxæ Religionis ornamentum Carolum Hiſpaniarum Regem, vtroque non modo Terrarum innixam cardine hæreditatem adiÿſſe regnorum, ſed ad celſiſſimum etiã illius contendere cognomenti decus animaduertit inclytos, quo Maiores ſuos eximÿs vbique Gentium propagata triumphis Catholica inſigniuit Eccleſia. Luculentiſſimum ingenitæ huiuſce pietatis ſpecimen ſplendido ſanè notandæ in æuum calculo feſtiua hæc exhibet dies, quæ ſpectatiſſimi quoque ob auitos, proprioſque titulos Oratoris irradiata fulgoribus ampliſſimæ dominationis faſces Apoſtolicæ ſedi ſubÿcit, Cæloque vectigales facit. Benedicit itaque diei huic Sanctitas ſua præſtitamque ritè eiuſdem Caroli Regis ac Mari-Annæ

ſa-

Digitized by Google

ſapientiſſimæ Matris nomine, filialem obedientiam geſtientibus vnà ſecum venerabilibus fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus; expanſis vltro Paternæ Charitatis amplexibus excipit, beneficiorum quoties cum Domino poterit magnitudine perceptam ex ſua ſupremam orbis ad cuſtodiam aſſumptione lætitiam locupletiſſimè cumulatura. Ingens interea Chriſtianæ Reipublicæ ad incrementum ſeros vſque maximo Adoleſcenti a Rege ſæculorum precatur annos, congeſtas donec vnus Auorum ſuperet laudes inſigniumque excellentia facinorum Auguſtiſſima de ſtirpe naſcituris olim Heroibus, nullis vnquam conatibus obtinendam, immortalis gloriæ metam imponat.

Hanc in ſententiam Pontificios me ſenſus pandere, atque elegantiſſimæ modo habitæ orationi reſponſum iuſſit reddere Sanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS DECIMVS.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Mag. ac. Palat. Ap.

I. de Angelis Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Hyacinthus Libellus ac. Pal. Apoſt. Mag.

Digitized by Google